THESES

EX

UNIVERSA THEOLOGIA DEPROMPTAE

QUAS

IN I. R. ARCHIGYMNASIO PATAVINO

PUBLICE DEFENDENDAS SUSCIPIT

ISAAC BETTINARDI

LAUREA THEOLOGICA DONATUS

PATAVII
TYPIS SEMINARII
1842.

EX ARCHAEOLOGIA BIBLICA

1. Praecepta caeremonialia in V. T. divinitus constituta usque ad Messiae adventum vim obligandi habuerunt.
2. Primogenitura V. Foederis munus quoque sacerdotale adnexum sibi habuit.
3. Quem Moyses *ob duritiem cordis* Hebraeis permiserat, ille repudii libellus prius matrimonii vinculum dissolvebat.
4. Regimen politicum ante Christi Domini aetatem de tribu Juda numquam sublatum fuit.

EX INTR. IN LIBROS V. FOEDERIS

1. Pentatheucus Moysis est genuinum opus.
2. Lectiones variantes, quibus libri V. F. scatent, eorumdem dogmaticam integritatem non snbvertunt, imo tuentur.
3. Veterum Patriarcharum anni nostris non breviores, sed eodem temporis spatio circumscribebantur.

4. In V. T. certe constat de tempore adventus Messiae.
5. Textus hebraici chronologiam prae chronologia Versionis septuaginta Senum, et Textus Samaritani defendimus ac propugnamus.

EX HERMENEUTICA BIBLICA

1. Supremum biblicae Hermeneuticae principium est judicium Ecclesiae, et SS. Patrum consensus.
2. In divina Scriptura sensus quoque typicus propheticus continetur.
3. Christus Dominus, quoad doctrinam tradendam, falsis Hebraeorum opinionibus *accommodatitium* sensum neque adhibuit, neque adhibere potuit.
4. Biblicae Hermeneuticae face praelucente, quos *Daemoniacos* Euangelium vocat, eos vere a Daemoniis obsessos fuisse probatur.

EX INTR. IN LIBROS N. FOEDERIS

1. Sacri novi Foederis auctores neque decipi, neque decipere potuerunt.
2. Evangelistae non re, sed specie tenus aliquando inter se dissentire videntur.

3. D. Matth. et D. Lucas, qui *genealogiam* Joseph litteris tradiderunt, B. Virginis Mariae genealogiam quoque posteritati commendarunt.
4. Decretum Synodi Trid. de Vulgata editione non prohibet, quominus biblicus Hermeneuta fontes originales adeat, eosque consulere queat.

EX HISTORIA ECCLESIASTICA

1. Petrum Romae fuisse patet ex ipsa priori ejusdem Apostoli Epistola, licet in ea non de urbe Roma, sed de Babylone agatur.
2. Paulus Apostolus restitit in faciem Cephae, at in re exigui momenti.
3. Christi fideles non absque causa inde a persecutione Domitiana in suspicionem Atheismi devenerant.
4. Perperam nonnulli ex ipso Concilio Hierosolymae celebrato *mandatum* abstinendi a fornicatione tanti fieri concludunt, atque illud non manducandi carnes idolis immolatas, ut fornicationem modo licitam esse contendant.

EX JURE CANONICO

1. Christus Dominus perpetuum jurisdictionis primatum in persona Petri Apostoli instituit, cui Romanus Pontifex succedit.
2. Mutuum auxilium sibi praestant Ecclesia et Civitas.
3. Civilibus imperantibus potestas solummodo competit in *accidentalibus* Religionis.
4. Pie ac sapienter sacris Ecclesiae Ministris lex imposita est perpetuae continentiae.
5. Matrimonium ratum et consummatum inter Catholicos propter adulterium alterius conjugum dissolvi nequit.

EX THEOLOGIA DOGMATICA

1. Homines sine divinae Revelationis ope in praesenti rerum conditione ad perfectam legis naturalis cognitionem pervenire nequeunt.
2. Lutherus et Calvinus recentioris Rationalismi fundamentum posuerunt.
3. Theologus in re gratiae sine ullo dogmaticae doctrinae detrimento a quocumque Scholarum systemate abstinere facile potest.
4. Ecclesiam in factis dogmaticis definiendis exponendisque infallibilitatis virtute gaudere satis firmis argumentis defendi potest.

5. Non metaphorice, sed vere ac proprie Christus Dominus secundum animam ad inferos descendit.

EX THEOLOGIA MORALI

1. Leges humanae in foro quoque interno vim obligandi habent.
2. Nullo jure matrimonium singulis hominibus praecipitur.
3. Jejunium ecclesiasticum et animae saluti et corporis valetudini maxime prodest.
4. Christianae virtutis praecipuum subsidium ac fundamentum est gratia Dei.

EX THEOLOGIA PASTORALI

1. Jure improbantur animarum Pastores, qui domestica dissidia componere non student.
2. Magis condemnandi sunt Parochi, qui, justo impedimento cessante, fere semper, quam qui fere numquam Coadjutoribus suis concionem ad populum habere permittunt.
3. Non solum legum ecclesiasticarum, sed etiam civilium Parocho praedicanda est observantia.
4. Munere parochiali rite non funguntur Pastores, qui extra Ecclesiae parietes indifferen-

tes se habent erga illos, qui illicito amore capiuntur.

5. Parochorum transitus de beneficio in beneficium, nisi ex justa ac legitima causa fiat, Dei vocationi; Ecclesiae legibus, Fidelium bono adversatur.